

cultate promoverimus cum omnibus juribus et oneribus...«.<sup>189</sup>

Magis clare adhuc hanc potestatem exprimit ultimus Vicarius Apostolicus fr. P. Vuičić, se enim id facere auctoritate sibi a Concilio Tridentino data. Ita in dismembratione parochiae Kiseljak a matrice Ban-brdo, praemissis rationibus hujusmodi divisionis, continuat: »idcirco auditis quorum interest et praesertim habito voto venerabilis discretorii PP. Conventus Kreseviensis S. Cath. V. M. auctoritate nobis facta a S. Concilio Tridentino (sess. 21, c. 4; et sess. 7, c. 7 de ref.) locum Kiseljak dictum... in curam animarum separatam a matre Ban-brdo constituimus ac declaramus«.<sup>190</sup> Similem casum videmus in divisione de Narenta a matre Podhum.<sup>191</sup>

Quoad divisionem paroeciarum prolata documenta sufficere putamus. Ulterius etiam in parochorum institutione Vicarii Apostolici secundum normas juris communis procedebant. In formula nempe nominationis omnia jura sua et provinciae ipsi exprimere non omittebant; scilicet, ex parte superiorum regularium jus nominationis, praeresentationis, et ex parte sua jus examinis, jus approbationis et institutionis.<sup>192</sup> Immo a. 1836, orto dubio num parochus semel approbatus pro cura animarum in unaquaque translatione approbatione indigeat, S. Congregatio rescriptsit: »Parochum a Vicario Apostolico pro determinata paroecia approbatum suam jurisdictionem intra limites suaे paroeciae tantum posse exercere nemini dubium. Huic consequitur, ut si eundem

<sup>189</sup> Ibidem.

<sup>190</sup> Ibidem.

<sup>191</sup> Ibidem.

<sup>192</sup> En unum exemplar institutionis parochorum de a. 1766 cui alia aequalia vel similia sunt: »Tibi nobis a superioribus tuis, ad quos jus pertinet nominandi, praesentato ad curam animarum exercendam in parochia Suttiscae ideoque a nobis tam quoad scientiam, quam quoad alia requisita idoneo reperto, et approbato, licentiam et facultatem concedimus missas parochiales celebrandi, sacramenta omnia administrandi, necnon omnia parochialia exercendi, et jura tuendi honoribus et oneribus consuetis. Teque in parochum amovibilem dictae parochiae, sic nobis approbatum constituimus et deputamus... Volumus autem, quod a dicta residentia durante officio discedere, nec ab eo amoveri possis nobis inconsultis«. Arch. Con. Sutjeska.